Nowicyski Alb: Lachrymae quibus Serenissimo Vladislao IV. P. et S. Regi velut optimo Reipublicae parenti parentat.

Posn. in off. Alb. Reguli. 1648.

LACHRYMÆ
Quibus
SERENISSIMO
VLADISLAO IV.
POLONIÆ & SVECIÆ REGI,
velut Optimo Reipublicæ Parenti; ſuo & Patriæ affectu
parentat

M. ALBERTVS NOWIEYSKI.

POSNANIÆ,
Jn Officina Typographica ALBERTI REGVLI,
Anno Domini, 1648.



JLLVSTRISSIMO DOMINO,

D. CHRYSTOPHORO DE BNIN OPALINSKI, PALATINO POSNANIENSI, SRZEMENSI, KOVELENSI, &c. &c. CAPITANEO.

EXcussus è Naui Reipublicæ gubernator, tristes meritò nobis omnibus lachrymas excussit: quibus, velut vndis, tumularetur. Terra longè fuit impar sepeliendo tàm Magno, qui nihil in se habebat terrenum. Quare aliud elementum, terrâ grandius, quærendum erat; in quo vastissimum hunc terræ Incolam conderemus. Solum mare, tantæ molis, capax visum est: quod erumpentes ex oculis tanquam riuis quibusdam subditorum lachrymæ accumulârunt. Has igitur lachrymas, Tuis ILLVSTRISSIME DOMINE, *affundere voluimus: vt à nomine Tuo magno, maiores existant. Jis Tu* SERENISSIMVM VLADISLAVM *prosequeris: & Naui Tuâ gentilitiâ instructus, suspiriisq; ab imo pectore deductis velut ventis impulsus: Te huic lachrymarum Oceano committis: in quo immersum ac tumulatum* PRINCIPEM *Tuum dolenter requiris. Verè Tuum. Qui cùm in Te virtutem & Lite-*

ras Tui Patris, ac Patrui, perspexisset: iisdem Te in hac praeclarissima Senatoria dignitate, quam possides, suffecit. Jurè Tuum. Qui Te honorificentissimâ in Galliam Legatione ornauit. Meritò Tuum. Qui Te amplissimâ Kouelensi Praefecturâ donauit. Etsi haec Tuis meritis minora sunt: Maiora mereris. Taceo opes Tuas, quas REGIS & REGNI causa profudisti: solam dico doctrinam, facundiamq́ Tuam: quam miratur hucusq́ Gallia, stupet Orbis: Teq́ Nestorem Sarmaticum appellat: ac dignum censet, cuius ore Princeps semper loquatur. Fateor meum calamum erubuisse, dum has Tibi lachrymas inscriberem. Nam omni calamô, maior est Tuus. Et verò, si haec verba aliqua, non mutae potiùs lachrymae fuissent, nunquam id periculi apud Te experiri voluissem. Tametsi Tua humanitas tanta est, vt etiam minus disertos attentè audias. Quam ego post meum è Gallia reditum, Tuis in Laribus, summam expertus: eandem nunc obtestor; vt hoc debitae meae erga Te obseruantiae munus, pari affectu suscipiat. Magnorum est, eos suâ humanitate subleuare, qui in aliquam, exiguam licèt literarum laudem assurgunt: vt cum iis, ipsae quoq́ literae assurgant. Quarum bonô dum Siracouiae Gymnasium erigis; earundem, & meô quoq́ votô, quàm diutissimè viuas. Posnaniae Kal: Augusti CIↃ. IↃC. XLVIII.

Illustrissimae D. T.

deuotus obsequio

M. ALBERTVS NOWIEYSKI.

ORATIO.

QVOD præſens lugeat ætas, ſera doleat poſteritas; VLADISLAVM IV. quod nomen dignitates tituloſq; non admittit, quia omnes anteceſſit, magnô noſtrô damnô nuper amiſimus. Quanquam nullæ hìc lachrymæ pares erunt, tantæ iacturæ deplorandæ; nullus dolor capax, tanto dolori leniendo. Commori potiùs VLADISLAO omnes debebamus; ne eiuſdem funeri ſuperuiueremus. Verùm profunda nox illa, quà fatalis dies appropinquauit; non profundas tantùm oculis noſtris obduxerat tenebras, ne eum mori videremus: ſed etiam profundum corporibus induxerat ſoporem; ne ſentiremus. Occubuit fatis ſolus ille, qui ſolus viuere fuerat meritus. Obijt ille, *in quo ſic magnorum Principum bona fuerunt, vt non ab aliis exemplum caperet; ſed etiamſi illi non fuiſſent, hic cæteris eſſet exemplum.* Quid igitur miſeri mortales agemus? Lugebimus? Sed maioribus profectò ipſi làchrymis digni, niſi modum non profecturis lachrymis adhibeamus. Supereſt igitur vt nos in luctu noſtro, gratâ recordatione tanti Parentis, cui nulla retrò ætas parem tulit, aliquatenùs conſolemur: & quemadmodum dè nobis VLADISLAVS

De Flauio Claudio Trebellius.

 bellô

bellô vel pace fuerit meritus, abruptim (vt in dolore addecet) non tamen absq; lachrymis videamus. In singulis eius factis exaggerata laudatione memorandis non morabimur. Nam finem dicendi nunquam faceremus. Summa tantùm & præcipua rerum capita attingemus, eaq; strictim perstringemus. A natiuitate Principis exordiendi animus est, vt eô crescente, ac maturescente; nostra quoq; demum crescat, maturescatq; Oratio.

M. Lubienscius, de profectione Regis in Sueciam.

Natus itaq; est VLADISLAVS, SIGISMVNDO III. & ANNA Austriacâ Magnis, Magnus ipse futurus, quia Magnus REGVM AC IMPERATORVM SANGVIS. Qui cùm GVSTAVI illius Comitis, qui eiectâ ac depulsâ è Suecia, Daniæ Regum tyrannide, Sueciæ Regnum primus gustauit, fuisset pronepos; Proauo succedere legitimè debebat: ni GVSTAVVS Secundus, gustatâ Regni dulcedine, non æquum putasset, detractum reddere diadema, quod CAROLVS PATER Sacrilegâ manu rapuerat. Poterat hoc VLADISLAVS iustis vindicare armis; nisi id potius altô quodam Fatorum consiliô CASIMIRO & CAROLO Fratribus reliquisset; qui postliminiô recuperent, quod antè CAROLVS Patruus iniquè cæpit possidere. Cui propria virtus externa Regna parabat; hæreditarium, quod ignauis persæpè sorte nascendi obtingit, neglexit. Non magnus adhuc natu, Magnus Dux à Moschis lectus. Iam vel tum sceptro satis maturus. Heróes namque isti, quos regendis populis fata designant,

non

non ætatis ſpatio aut annis, ſed diuinitate ingenij cenſendi ſunt. Profectò dignus ille imperio viſus, ſi illi tantùm non indigni quibus imperaret. Quare oblatum ſibi ſceptrum, tàm laudabiliter ipſe contempſit; quàm Moſchi honorificè detulerunt. Voluit nimirum Principes omnes condocere; quòd multò præſtat regna mereri, quàm ambire. Neque hoc fortunæ ancillantis repudium, fuit ei damnoſum, quem Paternum Poloniæ longè illuſtrius regnum meritò expectabat. Patrium ſceptrum ſua manu tenere debebat: qui manus Patris ſuperſtitis erat: quâ SIGISMVNDVS in hoſtem pugnabat, & ſuum caput aduerſus tela aduerſa tutabatur. Nullo cum hoſte ſigna Polonorum collata, vbi non iſte plùſquàm Spartana indole decertârit. Lunam Ottomanicam creſcentem ſuis ad Chotinum armis diminuit. Eandem fortè vel præ metu pallentem, nobili Vſaim & Karakaſz Baſſarum cruore decolorauit. Cruentum Oſmanum, qui ſanguinem noſtrum ſitiebat, ſuorum ſanguine ſatiauit. Moſchos & Scythas, omneque illorum gelu coniuratum, iuuenili calore ſoluit. Quæ tunc Polonorum in VLADISLAVM propenſio? Suos ei animos debuerunt; qui ſuum corpus hoſtium immaniſſimorum feritati deuorandum toties obiecit. Emere ſuffragia aurô atque pecuniâ vt apud eos regnaret, non debebat: qui illis tot victoriás tot triumphos, ſuô ferrô & ſanguine emit. Quæ etiam eiuſdem apud exteros fa-

Iacobus Sobieſki de bello Chotinēſi. & Strada dec. 2. l. 2.

ma

ma? Hæc equidem erat tanta, vt nullus quod antè contigit nemini, de regno fuerit illi competitor. Principes externi, qui antè regnum hoc ipsi certatim ambiebant, nunc omnes vni VLADISLAO non tantùm facilè concedebant: verùm etiam eundem Senatui & equestri Ordini impensè commendabant. Vt non solùm consentientibus populi sui suffragijs: sed etiam expressis cæterorum Principum votis solus regnaret, qui vnus supra omnes dignus imperiô videretur. Rex itaque Poloniæ inauguratus, ac in fastigio regijs virtutibus suis iam pridem debito collocatus; tantùm supra Reges reliquos diuinâ quadam Maiestate eminere videbatur; quantùm cæteri Reges supra omnes mortales. Regem non hominum sed Regvm dixisses. In sublime vel idcircò euectus: tum vt Turcarum potentiam ex alto despiceret; tum vt Moschorum perfidiam calcaret. Geminæ illæ innumerabilium capitum hydræ, triumphum de nobis sperabant: nisi Polonum non fabulosum Herculem reperissent. Summum Ecclesiæ caput Vrbanvs, in vrbe domina hospitanti, sacratum ensem donauerat: fatalem ad capita monstris hisce præcidenda, eòque magis ferienda, quò sentirent se mori. Probè sciebat ille, qui nihil in orbe ignorabat, PRINCIPI VLADISLAO tam forti, tamque bellicoso nullum munus gladiò gratius futurum. Quô etiam ille magìs, quàm Magnus olim Alexander hastâ Achillis delectabatur. Qui ne in otio

&

& quiete rubigíne corrumperetur, quoties contra hostem ibat, toties eundem, tanquam cælitùs datum suo lateri accingebat. Et principio quidem sui in regnum aditus, perfidissimus Moschorum omnium Sehynus, belli Dux, idem qui author, è vicinis iuxta ac procul dissitis regionibus, Sueciâ, Daniâ, Hollandiâ, Germaniâ, Angliâ, Scotiâ, Galliâ exercitum collegit: quò totam Russiam, & quidquid vltra eam iacet inundaret. Vt tàm VLADISLAO plures secum nationes ad victoriam simul ac triumphum adduceret: quàm sibi spectatores testesque suæ cladis aduocaret: quos tandem clementiâ victoris seruatos, in omnes orbis angulos, tanquam fidissimos infelicis belli sui nuncios relegaret. Illius ad Smolenscum castra, claustra putabantur; quibus se aduersus omnem nostrorum vim, vallò, aggeribus, terrâ, aquis, muniuerat: planèque omnem aditum intercluserat: ni sola per áèrem Regijs aquilis fuisset patefacta via, quâ in hostium agmina inuolare possent. Frustra sceleratus animò parricida, tam frequentibus tormentorum globis in ipsum propè REGIS caput detonabat: cùm nescirent illa fulmina ferire laurum. Ergo Sehynus, toleratâ multos menses obsidione, ad extremam redactus necessitatem, VICTOREM VLADISLAVM magnô suo dedecore in castra admisit: atque se salutemq; suam, arma, viros, commeatum, arces, agros longè latèque diffusos suo arbitriò legibusque permisit. Æterna

nâ VLADISLAI famâ, qui non tantùm locum ipsum, situ opereque munitissimum: verùm etiam animos suis viribus plurimùm fidentes ad deditionem spontè faciendam coëgit. Qui de illius belli apparatu magno audîerant; in quem hostes tempus non paruum, septem videlicet annorum impenderant; Troianam fore obsidionem sperabant. Cùm ecce VLADISLAVS, Troiam hanc Sehynianam, vnô nedum integrô annô expugnauit. Vicit fortunatissimè; inustamque Moschis omnibus perfidiæ maculam, vnius saltem Sehyni sanguine delere debuit. At quæ sua fuit clementia, eos qui mille mortes meruerunt; omnes vitâ donauit. Dignus tot vitas viuere, quot ab eis repetere iure potuit. Quo pacto, non ex hostibus tantùm; verùm quod est longè præclarius, ex seipso victoriam reportauit. Sibi ipse futurus triumphus. Periisse omnes se putabant, ni sic periissent; atque in eius potestatem concessissent; qui suam purpuram humano sanguine tinctam ac rubentem nunquam esse volebat. Sanè benignius cum suis hostibus egit VLADISLAVS, quàm Caligula cum suis ciuibus volebat: quibus vnam ceruicem præoptabat, vno ictu præcidendam. Multò etiam clementius ac fidelius quàm Sylla; qui quatuor legiones, & quinque Prænestinorum millia exarmata, speque salutis datâ obtruncari iussit: abscissaque miserorum capita in conspectum suum deferri voluit; vt oculis illa, quæ ore nefas erat, manderet.

id est decennalē.

deret. Quare id quoq; meritò consecutus est à suis hostibus VLADISLAVS, quod rarissimus Principum à suis ciuibus: vt cum ij castris, (quibus inclusi tanquam pecudes asseruabantur, vt VLADISLAO feralis victima caderent) salui egrederentur: illum veluti numen aliquod tutelare de genu adorârunt: iamque se naturæ satis vixisse confessi fuerunt: cùm tantum humani generis delicium, tam victoriosum & benignum Principem viderunt. Nocentissimus omnium Sehynus; nescias num sui facti, num Regiæ clementiæ conscientiâ magis confusus; tanti Principis dexteram suo osculo venerari voluit; quasi gratiam referens quod ab ea fuisset deuictus. Dignam scilicet semper vincere, quæ sic vti victoriâ sciret. Hæc obliteranda nunquam victoria, gradus ei ad sequentem fuit. Potentissimus Asiæ tyrannus Amurathes, Moschorũ factionibus excitatus, vt VLADISLAI eodem illo bello arma occupata diuerteret; sua in Poloniæ fines intulit: sed vt primùm celerrimos de eiusdem victoria nuncios accepit, à suis Eunuchis admonitus, rem sibi cum viris fore, celerrimè in Asiam profugit. Quô in campo gloriam VLADISLAO reliquit immortalem, qui TERROR HOSTIVM diceretur. Poterat ille meritò FORTVNAM VLADISLAI non minus reuereri; quàm Solymanus CAROLI V. qui eum ad solum suorum armorum aspectum, nunc trecentis, nunc propè sexcentis suorum millibus armatum, soluere Vi- *Carolus Scribanius Politico Christianus.*

ennen-

ennenſem obſidionem bis coëgit. Hæc tamen ita VLADISLAO proſpera fuit, vt non ſuperaret induſtriam. Callebat enim mirè artem bellicam, cuius perdiſcendæ Belgium peragrauit. Bredanæ, famoſæ illi obſidioni Duce Spinola interfuit: arces, munitiones, propugnacula; in quibus muniendis natura & induſtria Belgarum ſimul certârunt, perluſtrauit. Vt nihil prorſus ignoraret; quod Mauritius aut Spinola præclariſſimi ab vtrinq; Belgarum Duces, ſcirent. Hanc rei militaris ſcientiam, quam ſibi arte & vſu inſignem VLADISLAVS comparauit, Suecus maximè reueritus: maluit vrbibus & arcibus, quas in Pruſſia non vi expugnârat, ſed fraude occupârat Guſtauus, ſponte excedere; quàm eius armorum iuſtitiam ac robur experiri. De ſuo hæreditario Sueciæ regno, quod Patri & ſibi ſummâ iniuriâ fuerat ereptum, illo eodem loco bellum gerere nolebat; ne ſuâ potius, quàm Reipublicæ causâ arma ſumpſiſſe videretur. Finem tandem bellorum omnium pacem fecit, nunquam in bella iturus, niſi cogeretur. quæ tamen ipſa paci præſtrueret. Vt ſolus meritò poſſit PRINCEPS PACIS appellari. Quô factô damnauit, damnatum iam olim, aliorum Principum morem; qui magnô rei Chriſtianæ & populorum damnô, diuturnis bellis quibus ſe mutuò conficiunt, finem hucuſq; facere morantur. Erat ſanè cur nobis tantum bonum, tam dulce, tamq; ſalutare, quod ſatis æſtimari nuſquam melius poteſt

Hermannus Hugo in obſidione Bredana.

teſt niſi cùm amiſſum eſt; cæteræ nationes, continuâ bellorum tempeſtate iactatæ, ac planè iam perditæ inuiderent: cùm apud ſe ferrum omne in arma & globos tantùm conuerti: apud nos verò in arua & glebas acui viderent. Nihil igitur in orbe bellô magnum, orbis hic magnus præter VLADISLAVM dicat: ſileatque LVDOVICOS decimos quartos, PHILIPPOS quartos, mutuis tantùm cladibus nobiles: quibus VLADISLAVS IV. æuô ſuppar, armis & armorum induciis ſuperior, extiterit. Et hæc ſunt à nobis laudata breuiter, quæ VLADISLAVS bellô geſſit: ab Hiſtoriæ ſcriptoribus prolixiùs enarranda. Quæ non eo animo commemorata ſunt; vt augeant magìs mortui Principis deſiderium; ſed vt potius dolorem ex eius morte perceptum, alleuent. Quòd videlicet Rege tali digni fuerimus; cuius robore fortes, victoriis illuſtres, pace felices viueremus. Iam verò illa quibus pacis tempore de nobis meritus eſt, ſunt huiuſmodi: vt ſit dubitandum, Bellonè, an Pace Princeps maior. Atque inprimis Patria ipſa hìc ſe offert; cui redditâ foris pace, domi eandem & ipſe ſuis cum ciuibus coluit ſacro-ſanctè; & ſuos ciues inter ſe colere voluit religiosè. Hanc ſemel à Coſacorum turba perturbatam, acerrimè vindicauit; atq; incendium hoc, quô ardere iam Patria cæperat; Paulucij, paucorumque eius commilitonum ſanguine reſtinxit. Non hic ſilebimus reſtitutam pacem ac libertatem Matri ac Magiſtræ ſuæ

B Acá-

Academiæ, grauissimis Patrum dissidiis exagitatæ: quam VLADISLAVS firmissimis idcirco legibus roborauit: vt faceret æternam. Diem illum veluti alterum natalem Academiæ illuxisse credidisses. In qua etiam nouum Musis vernantibus domicilium; insigne suum in Academiam & literas munus, liberaliter erigi Voluit. Atauum suum VLADISLAVM IAGELLONEM præclarè imitatus; cui bonæ in Polonia artes, suum ortum: cui hanc optimis disciplinis florentem semper Academiam debent. Vtinam verò tam felix fortunataq; fuisset Ecclesia Mater; cui ille omni studio & contentione pacẽ Thorunij quæsiuit; animos tum à religione vera, tùm à nobis dissidentes ad concordiam reuocando; neq; vt cæteri Principes bella contra illos moliendo; Verùm amica disceptatione eorum pectora emolliendo, ni duriora adamante inuenisset. Tentatum id olim in Gallia, CAROLO IX regnante, tentatum & alibi: sed nihil vsquam profectum. Nec est spes vlla, vt aliquando proficiatur: cùm illi summâ aduersus Romanam Religionem flagrent conspiratione. Quod multi etiam antè in Belgio præseferre gloriabantur, lunulis pileo præfixis, attexto cum carmine

Thuanus.

Famianus Strada, de bello Belgico dec. 1. lib. 8.

Turca magis, quàm PAPA *placet*.

Satis tamen gloriæ vel exinde adquisitum est VLADISLAO, qui suum tàm erga Ecclesiam Zelum, vt filius: quàm erga eos, qui à Religione dissident affectum,

vt

vt Pater; abundè voluit esse testatum. Quanquam Zelum hunc ipsius ardentissimum, plùs illustrarunt illi ignes; quibus Arrianam pestem adiudicauit, ac in foro Varsauiensi, carnificis manu exuri iussit. Vt illam facem vtramq; secutus esse videatur, quam I. Lipsius suis in Politicis, Principibus prætulit luculentissimè, dum censuit; quibusdam hæreticis opus esse Doctore, nonnullis Tortore. Flammis extingui debuit pestilentissimus liber ille: qui incendium rei Christianæ minabatur. Sol iste limpidissimus, splendidissimæ lucis promus, suam illâ horâ subduxerat facem; vt illa comburens facula, multò clariorem nobis infunderet lucem. Cùmq; suum postea orbi extulisset caput, risit amænius: quasi tàm præclaro facinore recreatus. Fatalem hunc Arrianæ perfidiæ rogum, non alius, quàm Regius, summâ intus ardens pietate, accendit ignis: in quem coniecta plena perfidiæ impietas, suauius arsit; quàm thura licet odorata, diuino in conspectu Vnquam arsère. Prima nimirum & *præcipua* Religionis cura, Principi esse debet; quam *qui* violat, DEVM ipsum violat; cuius diuinis auxiliis imperia firmantur; cuius beneuolentiâ potentiùs, quàm armis regna roborantur. Neque hìc supplicijs abstinendum. Nam cùm in alijs sceleribus, *non pœnâ semper, sed sæpius pœnitentiâ contentus esse debeat princeps:* hoc maiestatis supremæ crimen, non nisi solo sanguine expiandum. Quare & VLADISLA- *Tacitus in Agricola.*

 VS

VS hìc tantùm seuerus: in reliquis verò causis forensibus, seueritatem benignitate semper condiebat; iustitiam clementiâ temperabat. Sanè didicerat Tullianum illud; *homines nullâ re propius ad Deos accedere, quàm salutem hominibus dando.* Si ita in puniendis maleficiis iustus & clemens; quàm in remunerandis meritis æquus & bonus? apud quem sua cuiq; virtus, præmia semper inuenit. Hic illi carior, hic ad dignitatem propior; qui virtute præstantior. Quis enim virtutem amplectitur ipsam, præmia si desint? Neq; enim quisquam facilè gratuitò bonus est. Quis de Rege merebitur, mercedem si tollas? Quis pro Regno sanguinem profundet irremunerandum? Quis vitam ponet, si vulnerum, si sanguinis, si vitæ præmia nulla sint? Nemo queri de VLADISLAO potuit, quicunq; ei suam pace vel bellô operam collocasset. Alios ad Magistratus prouehebat. Multos Præfecturis donabat. Plurimos reditu suo: innumerabiles ære & pecunia subleuabat, ac ditabat. Adeoq; in omnes erat beneficus & liberalis, vt suum ærarium sæpius exhauriret; quòd putaret vti Iulianus Imperator, *melius suas opes apud amicos quàm apud se recondi.* At verò quæ in gubernando quouis hominum cætu, virtutum omnium Regina est prudentia: hæc magno rerum vsu conquisita, in eo maximè eminebat. Nullum illius factum temerarium. Omne prudens, maturum, serium, & diu cogitatum. Nec ipse

Nic. Caussinus in Curia Sancta t. 2.

tan-

tantum prudens; Sed prudentiſſimi quoq; Senatus, ad quem omnia Reipublicæ negotia ſemper referebat, conſiliô vſus. Cùmq; (vt Diocletianum priuatum dixiſſe fertur) nihil ſit difficilius quàm rectè imperare: VLADISLAO nihil fuit facilius. Neq; imperauit vt Dominus, ſed vti Pater; qui Patriæ vtilitates & commoda, ſuis ſemper anteferret; intelligeretq; quod pauciſſimi Principum; non ſibi populum ſui cauſa datum atq; conceſſum, ſed ſeipſum populi cauſa Regem à DEO conſtitutum. Iure PATER PATRIÆ dicendus. Plurima hic ſilenda ſunt, quæ Principem noſtrum pace commēdant. Nam vt Timantis penicillo in Iphigenia ad aram peritura, Velati Patris, quàm retecti Patrui mæror maior eſt: ita dictione noſtra eò VLADISLAVS credendus eſt maior, quominus reliquas eius virtutes attingimus. Illud vnum ſilere non poſſumus, quòd ita in pace vixit, vt de bello cogitaret: cùm Principibus Chriſtianis à communi hoſte damna inferri videret; quæ tanquam ſua putaret. Adeo vt PARENS VNIVERSI debeat meritò ab omnibus cenſeri. O nos æternùm VLADISLAO felices! ſi VLADISLAVS nobis æternus ſit. Verum enim verò cùm ille ſuæ mortalitatis, ſæpè ægra valetudine conflictatus, admoneretur; ſciretq; ſibi aliquando corpore & Regno hoc ſimul eſſe excedendum; in ſuis poſteris, qui ſummus erat CIVIVM AMOR voluit æternare. Non ſibi, ſed nobis victurus. Atq; idcirco

CÆCILIAM RENATAM, tot Principum, Regum, Imperatorum; neptim, Filiam, Sororem, in Matrimonium delegit: Tali Sponsâ, quæ Summas virtutes, Summo cum genere fuisset complexa dignissimus. Certè non debuit aliam Reginam, thori sui sceptriq; Sociam facere; quàm ex Austriaca, hoc est Imperatrice Domo, omnium Familiarum Reginâ. Non potuit suis triumphis, quibus orbem Vniuersum impleuit, parem Coronam; quàm in Laurea Austriaca inuenire; quæ tanti Victoris tempora Laurô redimiret. Ex hoc tàm optato connubio, quid aliud sperare potueramus; quàm daturum nobis SIGISMVNDOS & RODVLPHOS pios? VLADISLAOS & FERDINANDOS fortes? Talium sanguis, tales procreare debebat. Et equidem vnum SIGISMVNDVM CASIMIRVM, qui singulas horum omnium virtutes fuerat animô complexus, diuinô beneficiô susceperamus; ni ei fata breuem dedissent vitam. Iam enim annum octauum ingressus, rarâ admodum ingenij maturitate, in tàm parua præsertim ætatula; cùm ecce subitò, maximô omnium luctu, è Patris & Patriæ complexu rapitur: moriturque cui vitam omnes precabamur immortalem. Immaturus adhuc mundô, cœlô satis maturus. Qui cùm hìc in terris non potuerit esse PATER, Patronus noster ibi futurus. Pius, Piam, secutus est Matrem, optimam Principē: quæ tres ante annos eum præcesserat; nouo partui, nobisque nouam datura vitam: ni suam perdi-

perdidiſſet. Etſi mundo eam amiſit, cœlo peperit: vbi nunc meliore ſui parte viuit. Damnum hoc Magnum ex Reginæ obitu acceptum, magnô tulit animô REX: quippe ſuperſtitem habebat adhuc Filium: in cuius imagine Mortua REGINA MATER viuebat. Quod cùm reſarcire vellet: Secundum ei fini in Gallia inſtaurauit connubium: præmiſſo fidei ſuæ Sponſore ILLVSTRISSIMO VIRO, CHRISTOPHORO OPALINIO, PALATINO POSNANIENSE: qui pulcherrimum in liligero Regno florem legit, MARIAM LVDOVICAM, Principem Niuernenſem; tantô quoque dignam REGE, REGINAM. In qua ſiue formam corporis pulcherrimam ſpectes, ſiue animi dotes perfectiſſimas requiras: nihil prorſus deſideres. Facere hanc pulchram, pulchrâ prole Parentem REX potuiſſet: ſi cœlum ſuis votis ac noſtris annuiſſet. Sed ille qui liberos Regibus, qui liberis populis Reges dat, donatque DEVS: neque REGEM, neque nos tam dulci optatoque donare voluit fructu. Naturæ etiam æquum videbatur, vt qui tantus eſſet ſine liberis ac prole reipublicæ ſubduceretur. Quæ effæta, vt nonnunquam matres ſolent, aut cùm nihil maius poteſt, ceſſat melius, quàm deficit. Proh dolor! ſperata REGIS prole & vita inſimul priuamur. Moritur ſine liberis Pater: qui *nihil habuit mortale, niſi quòd moritur.* Moritur nobis tanquam ſuis liberis, quorum vitam vti Pater adamauit; vt pro illa ſuam in tot diſcrimina offerre, nunquam dubitarit.

Quintilianus in ſua declamatione de apibus.

tarit. Verùm debuit mori, quem natura genuit mortalem. Debuit mori, qui satis gloriæ vixit. Vtinam verò eius mortem nostrâ redimere: vtinam vitam nostram pro sua offerre potuissemus! Non defuissent (credo) Q. Curtij, qui se lubentissimè fato præcipites dedissent: si Dij, REGEM nobis incolumem seruare voluissent. Sed ô nimis æmula magnorum fata! Cui æterna stare vita debuit, occubuit. Ignoscite cæli, Inuidistis Poloniæ & orbi tàm magnum: aut imperium orbemque non dignum tàm magnô, putastis. Spoliastis proinde orbem, vt vos ornaretis. Date veniam, inuidemus vobis. Quanquam detractum nihil volumus promeritæ toties felicitati, cùm orbitatem nostram sentimus. Sed sileamus, ne nimiùm audaces, metam silentij egrediamur. Cùm itaque inuidiâ nostrâ & querimonijs non profuturis, vitam reddere nequeamus VLADISLAO; perpetuas saltem ei demus lachrymas: lachrymis mortuo Parenti parentemus, qui pro nostra salute foris domique perpetuò desudauit. Æternùm dolendus; qui benè imperando effecit, ne eum nobis imperasse vnquam doleremus. Æternùm lugendus; qui hanc rempublicam suis armis, fortitudine, pietate, iustitia, clementia, sua denique prudentia & consilio, stare voluit æternam. Æternùm deplorandus; cum quo omnes victoriæ ac triumphi, cum quo omnis gloria militaris, cum quo belli Dux vterque, cum quo omnis propè exercitus, vnô eodemque fatô occubuisse

cubuiſſe videntur. Ita æquum fortunæ Reipub: videbatur: vt cuius vitâ, omnia Patriæ decora, omnia ornamenta, atque præſidia ſteterunt: eiuſdem morte debilitata & fracta, ſubito caſu corruerent. Qui ſi deploratiſſimo huic tempori, quod caſu quodam fatali eſt mortem eius conſecutum, ſuperuixiſſet: non dubitandum, quin tàm barbarum Scytham, quàm perduellem Coſacum, vtrumq; hac noſtrorum funeſtâ calamitate præferocem, ſui corporis obiectu domuiſſet. Vel ſi ita ſuperis viſum fuiſſet; eum Spiritum quem naturæ reddidit, Patriæ potius reddidiſſet. Etſi tantùm dolere, animum VLADISLAI abſentem poſſumus; hoc verò corpus, quod nobis ille velut auguſtum quoddam diuinæ ſuæ mentis inter homines hoſpitantis domicilium reliquit, debitô oportet proſequamur honore. Ita condecet, vt non inferiorem Auguſto ac Tito in nobis experiatur affectum, qui virtutibus & meritis, Auguſtum ac Titum adæquauit. In Auguſti namque funere ornando, & memoriâ honorandâ, ſenatus eô ſtudiô certatim progreſſus eſt, vt inter alia complura cenſuerint quidam, funus triumphali porta ducendum, præcedente victoria, quæ erat in Curia, canentibus næniam Principum liberis vtriuſque ſexus. Alij exequiarum die ponendos annulos aureos, ferreoſque ſumendos. Alij vt omne tempus à primo die natali ad exitum eius, ſeculum Auguſtum appellaretur, & ita in faſtos referretur. Senatorum hu- *Suetonius in Augusto.*

C meris

meris delatus in campum, Reliquias legerunt prim ores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausolæo condiderunt. Iam verò de Tito vt palam Senatui factum est, mortuum esse; tantas mortuo gratias egit laudesque, quantas congessit, ne viuo quidem vnquam atque præsenti. Quod si etiam Christianis, Christianos imitari placet, Regem Christianissimum Henricvm IV, habemus: cui mortuo, æternùm victura posteritas, MAGNI nomen, ob res præclarè gestas donauit. Quàm ob rem si hæc ipsa, vel his longè testatiora amoris nostri in mortuum VLADISLAVM signa volumus congerere, congeramus. Mortuo primùm gratias laudesque agamus. Deinde Funus illius triumphali porta ducamus. Suarum exequiarum die ponamus annulos aureos, ferreosque sumamus. Omne tempus, à primo die natali ad exitum eius, seculum VLADISLAVIANVM appellemus, ac in fastos referamus. MAGNVM denique vocemus. Ne ingrati ac immemores tantorum beneficiorum, quanta à viuente accepimus videamur. Nec postea Rege altero digni; qui nobis suis meritis, suis virtutibus, sua vitâ mortuum referat

Suetonius in Tito Vespasiano.

Duplex Historiæ Gallicæ Scriptor.

VLADISLAVM.

D I X I.

EPITAPHII JNSCRIPTIO.

SERENISSIMO VLADISLAO IV.

POLONIÆ & SVECIÆ REGVM,
JMPERATORVM etiam SANGVINI,
POLONIÆ & SVECIÆ REGI.
VICTORI, PIO, FELICI.
PACIS PRINCIPI.
HOSTIVM TERRORI.
CIVIVM AMORI.
PATRIÆ PATRI.
ORBIS PARENTI.
Mœsta parentat Polonia.

Non perituro marmori; sed perennaturæ memoriæ: pij parentis, pia progenies, pios recondens cineres, perennè victuros.

VIATOR.

Tibi hìc præluditur! SERENISSIMVS *præit* VLADISLAVS:
Sequemur magni huius corporis, vmbræ minores.
Viuere potes, mori debes.
Vixit LIII. annos, Regnauit XV.
Obijt M.DC.XL.VIII. Maij XX.